Fragmentarium

Nr. 21
f. 1
21

nosa et immunda luxuria; Eia
domine et eia domina duplicate et
triplicate supplicia et tormenta
super me. quia nullius hominis
corpus iustius meruit penas
inferni iam sustinere; Neque enim
tanta sustinere aut portare tan-
tum peccatorem debuerat. et
merito iam diu est si talem pec-
catorem absorbuisset; Misere
lacrime quid cessatis. funerate
reum corpus iam iamque emor-
tuum ad sepulturam non prosequi-
mini? Impendite obsequium
funeris dum licet. quod scelera-
to et omnibus odioso merito
nullus impendet; Eia infelix
anima ecce ubi tu conspicis
tuum miserabile corpus. in tam
pavenda morte constitutum.
corpus quod tuis cupiditatibus
semper obedivit. tuis impietatibus
semper obsecutum est; Quod ipsum quidem
afflatum calore infernali ad
presens uritur. tu vero post pau-
lo horrenda incendia et flam-
miferos globos sustinebis;
Heu me miserum. et dura que patior
et mors eterna est quam expecto.
ve. ve. ve. misero et peccatori.
iustissime dampnato; Cum hec et

similia coram omnibus voce pub-
lica proferret. totis membris
sudore manans. intuentes
et audientes eum ad dolorem
et lacrimas compellebat; Cum
ecce de subito pia domina et pius
dominus. qui non vult mortem pec-
catoris. sed magis ut convertatur
et vivat. cessantibus doloribus
suavitatem induxit. et cepit me-
liorari et voces alias edere.
voces gaudii et exultationis
et gratiarum actio et vox laudis ab
ore eius audiebatur; Erat autem
vespertina diei hora; Quo exiliens
super pedes suos sanus et inco-
lumis: currens amplexus est
altare; Non immemor ergo tanti
beneficii: non multo post itinere
parato. iherusalem profectus est; De du-
abus mulieribus ardentibus et restinctis.

Due mulieres de mona-
sterio inder. quarum max-
illam altera igne pessam cum
horrore spectaculum suis exhi-
bebat. altera vero manum et brachi-
um. igne tabifico consumptum
putridas carnes et lividas et
ad omnium nauseam fetentes
prese gestabat. venerunt suessionem.
et vota solventes in domo beate

BERNENSIS + BIBLIOTHECA +
Cod A 94 (21)

License: cc-by-nc – Bern, Burgerbibliothek, Cod. A 94.21, 1r – Hugo Farsitus: De miraculis beatae Mariae in urbe Suessionensi; Vitae patrum VI [= Verba seniorum] (https://fragmentarium.ms/view/page/F-7zbu/5186/49548)